Caput Primum.

DE BONO ET MALO.

Notum nobis factum est divinae voluntatis sacramentum 'omnia in Christo instaurare sive quae in caelis sive quae in terris sunt in ipso' (Eph 1, 9.10). Quod si his in terris parum perspicimus quemadmodum caelestia in Christo instaurentur, haud forte mirandum est. Sed gravius esse videtur si pariter praetermittimus quemadmodum instaurentur ipsa terrestria, cum nostri sit collaborare ut omnis aedificatio constructa crescat in templum sanctum in Domino (Eph 2, 21).

Quam ob causam diligenter imprimis considerandum esse duximus quale sit bonum, quemadmodum humanum bonum praecipue in ordine ponatur, qua lege humanum ordinis bonum peccato corrumpatur, quaenam denique sit humana potentia ad humanum ordinis bonum restaurandum. Haec enim si perspecta habuerimus, et plenius et fructuosius intelligemus, quanti momenti sit in omnibus et singulis hodiernae vitae problematibus magnum illud Dei Patris beneficium, quod per Dominum nostrum crucifixum et resurrectum in sancto Spiritu accepimus.

Articulus I.
De Bono in Genere.

1) Omne bonum est ens.

Nam ens et bonum convertuntur; sicut ergo omne ens est bonum, ita omne bonum est ens.

2) Qui dicit bonum, dicit concretum.

Nam omne bonum est ens, et omne ens est concretum. Differentiae enim cuiuscumque entis non addunt super illud ens sed in eo ~~ente~~ includuntur. Quod autem in se includit omnes suas differentias, concretum est. Omne ergo ens concretum est, et ideo pariter omne bonum.

Iterum, ipsa intentio concreti nihil est aliud quam intentio entis. Qui enim concretum intendit, neque diversos rei aspectus explicite cogitat, neque ullatenus ab ipsa rei realitate abstrahit. Pariter qui ens intendit, neque varios aspectus seu differentias explicite cogitat, neque ullatenus a rei realitate praescindit sed eam totam considerat.

3) Qui dicit bonum, dicit omnia.

Nam quodcumque est, ens est. ~~Sed [illegible]~~ Ens ergo sese extendit ad omnia. Sed ens et bonum convertuntur. Et ideo bonum sese extendit ad omnia.

4) Quod Deus est bonus per essentiam, caetera autem per participationem.

Essentia enim Dei est ipsa entis et boni essentia; sed essentia creaturae non est nisi imperfecta quaedam divinae essentiae imitatio vel participatio; sicut ergo

creatura imitatur vel participat divinam essentiam, ita etiam imitatur vel participat essentiam boni.

Iterum, essentia creaturae non est nisi essentia hominis vel equi vel rosae vel alterius cuiusdam speciei; et nulla eiusmodi species est ipsa essentia ~~ex~~ entis vel boni cum, ea intellecta, multa alia entia et multa alia bona maneant intelligenda. Sed intellecta divina essentia, totum ens et totum bonum in ea intelliguntur; et ideo essentia Dei est essentia entis et boni.

Quod hac in vita imperfecte et analogice bonum intelligimus, concipimus, cognoscimus.

Nam qualis est intelligentia, talis est conceptio; et qualis est conceptio, talis est cognitio. Cognitio enim nostra est conceptionis affirmatio vel negatio; et conceptio nostra non est nisi intelligentiae expressio.

Sed propria et perfecta cuiusque intelligentia ex perspecta eiusdem essentia habetur; boni autem essentia est ipsa divina essentia; et cum hac in vita nisi imperfecte et analogice divinam essentiam non intelligamus, concipimus, cognoscamus, sequitur omnino nos hac in vita ~~nisi~~ imperfecte et analogice boni essentiam intelligere, concipere, cognoscere.

Quod boni creati duplex est consideratio.

Primo, enim, ea quae appetuntur, bona dicuntur; et haec sunt bona particularia.

Deinde, vero, cum bonum sit concretum, prima illa consideratio omnino insufficiens videtur. Nam frustra

esset appetibile sine appetitu; frustra essent appetibile et appetitus sine appetitione; frustra essent appetibile, appetitus, et appetitio sine appetente; frustra essent haec omnia nisi appetens ita appetibile prosequeretur ut id consequi eoque frui posset; neque prosecutio, consecutio, fruitio esse possent, nisi praesto essent necessaria media adiunctaque propitia. Quae cum ita sint, si quidem appetibile est bonum, etiam bona suo modo sunt appetitus, appetitio, appetens, prosecutio, media, adiunctcta, consecutio, fruitio. Quae quidem omnia non simpliciter multa sunt, sed naturaliter inter se ordinantur ut unum quoddam totum, concretum, dynamicum efformetur. Quod si partes huius totius suo modo bonae esse dicuntur, multo magis ipsum totum ordinatum nominatur bonum. Quam ob causam, praeter appetibilia seu bona particularia, etiam bonum ordinis agnosci oportet.

Quod tripliciter consideratur bonum ordinis.

Nam prima est consideratio abstracta; altera est schematica, typica, hypothetica; tertia denique est concreta atque actualis.

Primam ergo et abstractam considerationem iam supra adhibuimus, cum ex ipsa ratione appetibilis ad appetitum, appetitionem, appetens, prosequens, etc., conclusimus.

Altera autem consideratio abstractam praesupponit et eatenus ad concretum procedit quatenus problema realizationis concretae proponit et ad solutionem quamdam schematicam, typicam, hypotheticam pervenit. Supra enim

non statuimus nisi abstractum quoddam ordinis bonum. Non enim diximus cuiusnam naturae sit appetens, ~~[illegible]~~ utrum unicum sit an multa, utrum semel an multoties appetant, ~~[illegible]~~ utrum idem semper sit appetibile an diversa, quanam lege varientur appetibilia, utrum ipsa appetentia aliis appetentibus sint vel appetibilia, vel media, vel adiuncta, et quaenam quibus, etc. At si quis has quaestiones ponit et ita respondere vult ut possibile sit singula appetentia talibus appetibilibus toties frui quoties convenit, non ~~solam abstract~~ solum abstractas ordinationes considerare debet, sed ~~ut ad concreta non~~ ad concretam dispositionem spatialem et temporalem deveniat necesse est. ~~Quot vero invenit dispositiones felices, tot sunt huius problematis solutiones schematicae, typicae, hypotheticae. Quot vero invenit [illegible]~~

Quot vero felices invenit ~~solutiones~~ dispositiones (quae equilibria nominari solent: puta propter disrupta equilibria ultra omnem modum multiplicatos esse cuniculos in Australiam, passeres in Americam invectos), tot sunt huius problematis solutiones schematicae, typicae, hypotheticae. Neque alia essentialiter est consideratio eorum qui de evolutione specierum speculantur sed, facta hypothesi particulari, idem problema modo pleniori ponunt ~~[illegible]~~ circa omnia, nempe, viventia, super totam terrae faciem, ex temporibus antiquissimis.

Tertia denique est actualis et concreta consideratio quae, praesuppositis tum ordinatione abstracta tum ordinationibus schematicis et hypotheticis, ad illum procedit ordinem quam divina sapientia infallibiliter novit, divina bonitas efficaciter elegit, divina potentia irresistibiliter facit.

Et quia bonum est ens et concretum et omnia respicit, per solam hanc tertiam considerationem ad notitiam boni creati pervenitur. Qui enim schematica et hypothetica considerat, non ad ea quae sunt sed ad ea quae forte esse possunt attendit. Qui autem ad sola ~~appetibilia sed~~ bona particularia attendit, ipse se magis appetentem quam reflectentem manifestat, ~~sed~~ cum solam boni partem et non totum et concretum bonum considerat. Qui, caeteris omissis, ~~ad~~ hoc vel illud totum, concretum, ~~t~~ dynamicum ordinis bonum examinat, legitima sane praecisione utitur, modo divinae sapientiae omnia ordinantis, divinae electionis omni~~a~~ volentis, divinae potentiae mundum ordine unum[1] facientis non obliviscatur. Nam "finis quidem universi est aliquod bonum in ipso exsistens, scilicet ordo ipsius universi."[2] Et "perfectius participat divinam bonitatem et repraesentat eam totum universum quam alia quaelibet creatura."[3]

47 36

103 2 34

47 10

nuova pagina

NUOVA PAGINA

Articulus II
De Bono Ordinis Humano.

~~87~~ 1) Quale sit bonum ordinis in rebus humanis.

Illud humano generi proprium est ut non solum, sicut caetera viventia, ~~inter~~ intra ordinis bonum orientur eoque iugiter fruantur, sed etiam ipsum suum ordinis bonum ratione et voluntate aliquatenus constituant, et constitutum secundum ~~exp~~ processum quemdam historicum perficere studeant. Quod ut summis saltem lineamentis intelligatur, primo, de generali situatione humana quaedam dicenda esse videntur, deinde, de processu quo homines ex alia in aliam situationem transeunt, et tertio denique de altiori illa cultura secundum quam homines omnis regionis omnisque aetatis quodammodo inter

se communicare possunt.

Quantum ergo ad generalem situationem attinet, homines invenimus non tam singula bona particularia quaerere quam eorumdem seriem quamdam et continuam et certam, quippe qui non semel tantum in vita vescantur, tunicas induant, tecto pluvia arceant, igni frigus repellant, sed his omnibus perpetuo fere indigeant. Cum tamen singuli soli haud sibi sufficiant ad totam hanc bonorum seriem comparandam, societates ineunt ut per cooperationem atque collaborationem omnes singulis et securius et facilius optatum bonorum quasi fluvium consequantur. At ipsa haec cooperatio suos exserit fructus. Ex actibus enim repetitis acquiruntur habitus operativi tam apprehensivi quam appetitivi, ut singuli socii propria arte, virtute, scientia perficiantur, et ipsa tota societas propriam indolem in consuetudinibus, legibus, aliisque institutis exprimat. Quod si amare est bonum velle alicui, illi sane mutuo se amant qui ita bono communi incumbant, ut omnem per eorum operationem gubernet, ut ipsos eorum habitus mentis et cordis formet, ut non solum multiplici interdependentia saepe fere inconscia sed etiam usu familiari atque cotidiano eos inter se coniungat.

Eiusmodi igitur invenitur bonum ordinis humanum ut continuam securamque bonorum particularium seriem tamquam finem intendat, per coordinatas semperque repetitas operationes hunc finem assequatur, per habitus institutaque ipsam cooperationem tueatur, per mutuam denique amicitiam communem vitam ornet atque perficiat. Ita enim bonum ordinis domesticum viro, uxori, liberis innumera fere bona particularia parit; quo ordine declinante, dulcia fiunt

amara, utilia incommodis replentur, et ipse amor mutuus suspicionibus, querelis, dissidiis, rixis suffocatur. Ita etiam bonum ordinis oeconomicum non in opificum labore, non in materiis abundantibus, non in conducentium sollertia atque audacia residet, sed in his omnibus et simul sumptis et rite ordinatis, ut vigente ordine omnia omnibus fere prospere procedunt et, solo ordine deficiente, communis omnibus imponitur miseria. Ita denique bonum ordinis politicum caetera externa bona tuetur; neque vacillare ~~declinare~~ potest quin ~~omnia dissipatione atque ~~ad~~ destructione~~ omnium dissipationem atque destructionem comminetur.

2) Quemadmodum ~~hominis ord~~ humanum ordinis bonum proficiat.

Non tamen unum idemque ordinis bonum apud homines ~~cuivis~~ cuiusvis loci et aetatis invenitur. Alii enim mensuris aliis alia appetibilia prosequuntur; alii aliter laborem inter se dividunt; aliis aliae sunt consuetudines, leges, instituta, aliae sunt artes et scientiae, aliae ~~que~~ ~~denique~~ magis laudantur virtutes, et cuique ~~quibusque~~ est sua religio. Cuius maximae variationis atque diversitatis causa, non tam in adiunctis externis reponenda esse videtur, quam in ipso interno intellectus profectu.

Exsistit enim motus quidam circularis, quo externa et concreta hominis situatio in intellectum agit, intellectus deinde in voluntatem, voluntas denique in ipsam situationem. Qui quidem motus semper uniformis maneret, si intellectus nihil umquam perspiceret nisi iam exsistens ordinis bonum. At eiusmodi est mentis humanae irrequietudo ut externa situatio facile inquirentem movet ad novum quidpiam forteque

vel commodius vel utilius vel quomodocumque melius inveniendum. Inventionem sequuntur nova consilia; consilia persuadendi artes accedunt; persuasio consensum evincit; consensus novum agendi, faciendi, cooperandi modum inducit, ut ipsa externa situatio commutetur. Qua commutatione peracta, reincipit circulus, sive quia defectus novi consilii ipsis factis demonstrantur et iam remedia quaeruntur, sive quia nova situatio novas aperit possibilitates, novas inventiones stimulat, et nova melioraque consilia postulat. Neque huic motui circulari atque progressivo intrinsecus quidam imponitur finis, cum ipsa sua natura intellectus dicatur quo sit omnia facere et fieri.

Humanum ergo ordinis bonum duplicem praebet aspectum. Nam secundum generalem quamdam structuram seu formam unum quodammodo atque constans invenitur, cum semper et ubique continuam certamque bonorum particularium seriem homines quaerant, cum semper et ubique per coordinatas operationes hanc seriem assequantur, cum semper et ubique ipsa haec cooperatio et instituta externa et publica et internos habitus inducat, cum semper et ubique relationes interpersonales ex bonis divisis, ex collaboratione, ex institutis communibus, ex ipsis internis habitibus oriantur. At idem ordinis bonum ita generalem hanc structuram retinet ut tamen intelligentibus et consentientibus sociis levi quodam sed perpetuo fluxu commutetur. Minimae sane videri possunt singulae mutationes. Parvis omnino gressibus

perficitur ordo. Sed quo tendit qui festinat, eo saepius pervenit cui perseverat. Neque perseverantia caret genus humanum, quod novae cuique generationi ea omnia tradit atque praecipit, quaecumque usu et experientia sunt probata.

Quibus perspectis, non solum rerum humanarum mutabilitatem intelligis, sed etiam maximas illas differentias quae in diversis et humanis traditionibus observantur. Cum enim intrinsecum quoddam mutationis principium in ipsa humana natura agnoscatur, cum hoc principium definiatur quo sit omnia facere et fieri, genetice explicari possunt quaecumque maximam civilizationem a cultura prorsus primitiva secernunt. Quod si valet genetica eiusmodi explicatio, statim concludi potest tum quanti momenti sit historica rerum intelligentia tum in quonam consistat humana quae dicitur solidaritas.

Qui enim historice seu genetice res humanas intelligit, non solum generale quoddam perspicit theorema, nempe, bonum ordinis humanum ab ipsis hominibus intelligentibus et consentientibus pedetentim esse evolutum, sed etiam ad elementa atque particularia descendit ut de singulis dicere possit quibusnam adiunctis sint inventa, quibusnam gressibus perfecta, quibusnam fructibus retenta. Quae sane notitia, quatenus re vera haberi potest, non solum speculativo veritatis valore ornatur sed etiam maxima atque practica utilitate. Cum enim cuilibet, vel parum sapienti, manifestum sit neque omnia esse innovanda neque omnia conservanda, perdifficile tamen et admodum rarum est bene iudicare

quaenam vetera quonam periculo derelinqueretur et quaenam nova quibusnam emolumentis introducerentur. Et quamvis eiusmodi quaestiones de ~~fut~~ futuro sint, neque bene aestimentur nisi ab iis qui praesentem rerum statum penitus noverint, non parum tamen confert rei historicae amplitudo, ne more eorum qui agros colant nihil sana et tamen audaci imaginatione concipere possimus, neve cum plebe urbana omne ~~mmm~~ quod diuturno usu probatum est eo ipso spernamus.

Quantum vero solidaritatem humanam respicit, ipsum quod exposuimus humanum ordinis bonum ~~ordinis humanum~~ satis manifestat. Ex hoc enim ordinis bono singuli ~~mmmmm~~ nati atque nutriti sumus. Ex eodem fonte omnia fere didicimus quae ad cultum faciant imaginationis, ad emotionum sobrietatem, sentimentorum vim, artis et scientiae acquisitionem, voluntatis firmitatem, ~~formationem~~, verborum usum, actionis constantiam, modestiam, efficaciam. ~~facilitate~~ Quod ipsi exemplis, praeceptis, doctrinis imbibimus, idem, fere nostro ingenio nostraque voluntate paulo modificatum, aliis tradimus. ~~Quod~~ Quem processum ipsi nunc ferimus; olim patres, avi, proavi ferebant; ferentque posteri. Neque quidquam aliud esse videtur ~~est~~ ipsum humanum ordinis bonum, quam magna quaedam atque fidelissima summatio sive integratio eorum omnium, quae ingenium humanum aliquando invenit et voluntas humana acceptanda, conservanda, tradenda elegit.

3 ~~10)~~ Quaenam sit quae dicitur cultura superior.

Quod hactenus consideravimus ordinis bonum, cum directe non respiciat nisi domestica, technica, oeconomica, politica, bonum humanum exterius nominari licet. Cum tamen non solo pane vivat homo, aliud et culturale bonum iam investigari oportet.

Si enim altiores quaeris humanae actionis radices, quattuor invenis ab ipsa natura indita desideria, nempe, (1) naturale intelligendi desiderium, quod non quiescat donec Deum per divinam essentiam cognoscat,[4] (2) naturale rectitudinis desiderium atque obligationem ut, quaecumque imperet ratio, exsequatur voluntas, (3) naturale felicitatis ~~desiderium ut homo, non solum hac in vita mortali, sed etiam in alia eaque sempiterna, numen supremum, rerum omnium principium et finem, cognoscat, laudet, colat~~ ~~immortalitatis~~ desiderium quod, quamvis de se indeterminatum sit,[5] determinationem maxime ex superiori hominis natura accipit,[6] et (4) naturale immortalitatis desiderium ut homo, non solum hac in vita mortali, sed etiam in alia eaque sempiterna, numen supremum, rerum omnium principium et finem, cognoscat, laudet, colat. Quibus spiritualibus desideriis accedunt mira illa sentimentorum elevatio humanaeque sensibilitatis plasticitas, quae hominem manifestant magis spiritum esse incarnatum quam animal ratione utens.

His ergo indigentiis hacque capacitate permotus, dupliciter homo in finem spiritualem procedere potest. Aut enim mysticorum more ex domestico, technico, oeconomico, politico ordinis bono sese retrahit ut, a materialibus conditionibus quam maxime liberatus, immediatum quemdam accessum ad Deum quaerat, aut per ipsa materialia, corporalia, sensibilia in intelligibilia seu spiritualia pertingere contendit. Ubi primum eligitur, supremus quidam colitur individualismus, non solum quia mysticus a communi hominum vita separatur, sed etiam quia id ipsum ad quod pervenit ne signis quidem exprimi et communicari potest. Ubi vero eligitur alterum, duplex stadium distingui oportet, primitivorum nempe et excultiorum hominum.

Primitivi ergo excultioribus neque ingenio neque aliis naturae donis inferiores inveniuntur: imo primitivi nascimur omnes. Imaginatione sane utuntur, intelligentia, iudicio, libero arbitrio, et signis. Neque minus in bonum spirituale quam in corporale tendunt, cum maxima apud eos observetur religio. Neque spirituale bonum cum corporali confundunt, cum aliter agros et aliter deos colant. Attamen sicut bono ordinis corporali communiter incumbunt, ita communibus ritibus spiritualia bona quaerunt. Sicut communis ~~eia est vita, ita communis etiam est cogitatio, deliberatio, electio, quibus bonum humanum proficit. Et quia haec communis cogitatio de rebus ordinandis est, quia haec communis cogitatio de reflexis non est, ne de meris signis ordinandis occupari videatur, primitivi sunt.~~

iis est vita, ita communis fere invenitur eorum cogitatio, deliberatio, electio, quibus proficit bonum humanum. Signis denique utuntur quae ita vitae communi ~~ordinandae tam~~ tam ornandae quam ordinandae inserviant, ut tamen ~~ab technicis et reflexis illis abstineant artibus quas evolvant grammatica, rhetorica, logica, semantica, ~~scientiae~~ critica~~ a technicis et reflexis illis abstineant considerationibus, quae non solum signis perficiuntur sed etiam quodammodo circa signa versantur.

Qui autem excultiores dicuntur, ita reflexe in ipsa signa intendunt, ut grammaticam dicant scientiam quae interiorem signorum ordinem respiciat, rhetoricam quae eorum expendat vim ad alios docendos atque commovendos, logicam quae necessitatem rationalem connexionum examinet, semanticam quae signi ad significatum habitudinem determinet, criticam denique quae altioribus de principiis disputationes semanticas resolvere intendat. Qui maximus atque diuturnus labor, ~~labor verae cuidam indigentiae humanae inservit respondet~~ quamvis primitivis omnino inutilis videatur, verae cuidam indigentiae humanae respondet. Cuius enim desiderium intellectuale in totum ens fertur, nisi per signa technice elaborata neque in rerum naturalium essentias neque in spiritualium cognitionem analogicam clare, distincte, exacte, procedere potest. Praeterea, cuius intellectus se habet in genere intelligibilium ut potentia ~~tam~~ tantum, solus parum proficit; et ideo sine signis technice elaboratis, deficit illa inventorum communicatio quae ab aliis et posteris recipi, augeri, tradi possit. Denique tandem, ubi signa

non communitati sed intellectui inserviunt, relaxatur communitatis dominium ut non solum novus quidam mundus contemplationi atque investigationi humanae aperiatur sed etiam novum communitatis genus efformetur.

Qui enim exteriori ordinis bono occupatur, solus operari non potest, sed in multis mentalitati atque arbitrio aliorum sese submittere debet. Qui autem technico signorum usu liberatur, non rerum materialium mordacibus curis retinetur, non 'practicorum' hominum placitis atque decretis huc illuc distrahitur, sed altissimis illis desideriis ducitur, quae rerum omnium intelligentiam, et voluntatis rectitudinem, et idealem quamdam hominis felicitatem, et spiritus immortalitatem quaerant, cogitent, optent. Per litteras ergo humaniores ad explicitam sui conscientiam pervenit homo. Per scientias puras tam propriam quam aliarum rerum perspicit naturas. Per philosophiam et theologiam mentem elevat, tum ut ordinem universi speculetur, tum ut universi creatorem cognoscat, laudet, eique serviat. Per historiam denique ita addiscit quid homo vel fuerit vel fecerit, ut clarius distinctiusque perspicere possit quid iam corrigendum, sperandum, faciendum sit.

~~tum ut ordinem universi speculatur tum ut universi creatorem cognoscat et laudet eique serviat. Per historiam denique ita addiscit quid homo et fuerit et fecerit, ut clarius distinctiusque perspiciat quid iam corrigendum, sperandum, faciendum sit.~~

~~Quod culturale bonum, cum aliud exterius praeter signa non exigat, aptum natum est ex quovis loco vel tempore in unum quemdam thesaurum collegi~~

Quod culturale bonum, cum aliud exterius praeter signa non exigat, facillime ex loco in locum transit et ex antiquissimis temporibus servatur. Cum praeterea ex ipsis altissimis naturae humanae radicibus procedat, stirpis, gentis, traditionis particularismum frangit, et in universalem quamdam animorum civitatem tendit. Cum totum ens totumque bonum significare possit, interiorem hominis vitam ita auget, locupletat, perficit, ut homo exsistat ~~ore possit~~, non quasi pars quaedam vel instrumentum esset exterioris processus biologici, technici, oeconomici, et politici, sed suae dignitatis, libertatis, responsibilitatis conscius, et ipsius exterioris processus iudex atque dominus.

Nam, uti superius diximus, exterius ordinis bonum ita hominibus intelligentibus et consentientibus iugiter commutatur ut ex quavis initiali situatione in quamlibet finalem levibus quidem sed perseverantibus gradibus procedatur. Sed ipsa superior cultura maxime in intellectu voluntateque humana residet, et ideo in omne consilium omnemque consensum, ~~xxx~~ quibus exterius bonum evolvitur, et suo iure et superiori

~~quidam potestate~~

quadam potestate influere solet. Quam ob causam et ipsi materialistae, non solum artes practicas et applicatas quae dicuntur scientias, sed et ipsam scientiam puram doctrinasque psychologicas, oeconomicas, politicas, historicas ~~max~~ maximi faciunt.

Ipsum denique culturale bonum saeculorum decursu proficere ita manifestum est ut tamen gravissimis malis saepius obscuretur. Quare de hac evolutione nihil ante dicendum esse ~~t~~ censemus quam de malis tractaverimus.

~~11) De triplici bonorum gradu.~~

Eos intendimus hic gradus qui ~~dynamici dici possunt.~~ Quorum unum exemplum iam consideravimus, nempe, bonum ordinis sive domesticum sive technicum sive oeconomicum sive politicum ad bona particularia comparari tamquam unum quoddam et permanens ~~ad~~ ad seriem quamdam et, ut ita dicam, profluvium multorum. Nam bonum ordinis se habet ad bona particularia sicut principium ~~ad~~ unum adinnumera ad innumera principiata, sicut synthesis dynamica ad nova semper synthetizata, sicut conditio universalis ad conditionata particularia.

Iam vero ipsum ordinis bonum augetur et proficit secundum motum illum circularem quo situatio exterior in intellectum practicum agit, intellectus in voluntatem, voluntas in situationem. Comparatur ergo ipse practicus intellectus, qui nova melioraque continuo adinvenit, ad stadia successiva quae in bono ordinis deprehenduntur, tamquam unum quoddam et permanens ad seriem et quasi profluvium stadiorum, sicut et ipsa singula ~~stadia sunt~~

Articulus III
De Signis

~~Definitio~~

Quanta sit in humana vita signorum vis atque efficacia, facillime ex eo aestimatur quod, signis sublatis, tolluntur omnis hominum cooperatio, omnis traditio, omnis progressus, ut inter homines humanum nihil relinqui videatur. Quaecumque enim modo humano ab aliis accipimus, per signa accipimus; quaecumque exacte cogitamus, per signa quasi figimus atque tenemus; quodcumque agimus, non sola voluntate, sed etiam sensibilitate signis excitata, directa, mota perficimus. Imo, ipsam nostram internam ~~[illegible]~~ experientiam haud ipsi nobis clare manifestamus nisi eam signis exprimimus, obiectificamus, incorporamus; neque solam quae conscia dicitur vitam afficiunt signa sed etiam profundam atque latentem regnare videntur. Quae cum ita sint, haud miraris, ubi de bono quaeritur, ibi etiam de signis tractari, cum boni humani instrumentum tam necessarium quam universale exsistat signum.

Quod vero ad naturam signorum attinet, quattuor elementa seu principia maxime attendenda videntur, nempe, concretionis, conformationis, informationis, et mediationis.

<u>Concretionis</u> principium dicimus quod significatio fit et alicui et ab aliquo. Quod superflue dictum videretur, nisi tot iam pridem exsisterent signa quae adeo abbreviata, technice elaborata, et multiplici mediatione remota sint (libros puta ab ignotis auctoribus lectoribus pariter ignotis conscriptos), ut facilius notionem quamdam platonicam signi per se subsistentis formemus quam realitatem humanae communicationis apprehendamus.

Conformationis deinde dicimus principium seu elementum, quo ita significans isque cui significatur inter se coniunguntur, ut sensibilitas unius ad sensibilitatem alterius conformetur. Quod quidem exigit non solum conditiones illas externas ut alius indigitet et alius aspiciat, alius loquatur et alius audiat, alius tangit et alius tangatur, alius scribat et alius idem legat, sed etiam mutuam plurium affinitatem, vel communem quemdam finem, vel similem internae conscientiae orientationem. Sicut enim canis non cuilibet sed domino ad nutum obedit, sicut amici intimis et vix ab aliis perceptis signis inter se communicant, ita etiam patet non omnes auditores iisdem magistris vel omnes lectores iisdem scriptoribus pariter attendere, sed alios aliis libentius, plenius, fructuosius accedere.

Attamen, praeter generale conformationis principium, etiam ad gradum conformationis attendendum est. Alia enim signa nisi ad apprehensionem non ordinantur; alia autem ad sympathiam, compassionem, participationem nos movent. Qui enim uno eodemque modo et folia diurna legeret et morientis matris ultima verba audiret, aut semper gravissimis motibus perturbaretur, aut frigidus nimis durusque esse videretur. Nam sicut caetera sensibilia, signa etiam sensus nostros ita afficiunt, ut tamen non omnia pariter imaginationem excitent, memoriam stimulent, emotiones evocent, sentimenta commoveant, desideria et timores aliasque animi passiones actuent. Qua de causa, secundum convenientem conformationis gradum, alia signa magis denotativa sunt quae vel parum vel nihil nos commoveant, alia autem magis

expressiva sunt quae, sicut ex intensa significantis experientia procedant, ita tam profunde quam efficaciter totam alterius sensibilitatem penetrent.

Post conformationem, tertium informationis diximus esse signorum elementum. Eiusmodi enim est mutua formae et materiae coaptatio ut, ubi similes sint formae, similes etiam sint dispositiones materiae et, vicissim, ubi similes sint materiae dispositiones, similes etiam sint formae. Iam vero actus intelligendi se habet ad apprehensionem sensitivam, sicut forma ad dispositiones materiae; et similiter comparatur actus volendi ad motum appetitus sensitivi. Quam ob causam, cum significans et is cui significatur quoad sensibilitatem gradu convenienti per signa mutuo conformati sint, ipsam hanc sensibilitatis conformationem in partem intellectivam extendit informationis principium. Nam qui ad eadem sensibilia attendunt, idem intelligunt. Qui multa et diversa eodem modo intelligunt, ad iudicia similia perveniunt. Qui non solum intelligentia et iudicio sed etiam sensitivis appetitionibus assimilantur, similia eos velle atque eligere vix dubitatur. Per signa ergo denotativa communem quamdam evolutionem intellectualem participant homines; ~~sed~~ per signa vero expressiva ita appetitionibus et electionibus uniuntur ut complurium diceres unam quamdam esse animam et ~~cuius~~ cor unum.

Quartum denique erat principium mediationis. Primum autem et principale medium est proprium uniuscuiuscumque corpus, quod non solum instrumentum animae coniunctum exsistit sed etiam hominis pars substantialis. Quam ob causam, magis immediate quam mediate significari videntur quae vultu, aspectu, tactu, risu vel lacrymis, vocis qualitate vel silentio,

gestibus vel immobilitate, non citius exprimantur quam intersubiectiva quadam humanae naturae affinitate communicentur atque participentur. Quod si totum corpus magis intense, vivide, immediate latentem animam manifestat, longe maiorem evolutionem atque specializationem admittunt vocis articulatae usus et ipsarum vocum mediatio sive per nuntios, legatos, histriones, sive per litteras scriptas, missas, conservatas, sive per artes technicas et recentiores. Age vero, et ipsae linguae evolvuntur. Quamvis enim alius sit mentis et alius linguae progressus, haud fieri potest ut alia sine alia multum proficiat, si quidem omne quod exacte cogitetur etiam exacte significetur. Quam ob causam, quasi graduum series in singulis linguis discerni potest, prout vocabulis antiquioribus magisque concretis perpetuo accedunt vocabula nova ad nova cogitata tam breviter quam accurate dicenda. Cui sane gradationi quodammodo correspondet audientium et legentium divisio, cum alii nisi voces magis elementares easque picturis illustratas intelligere non valeant, alii autem lingua evolutiori, pleniori, exactiori uti possint.

Secundum quattuor ergo vel principia vel elementa, concretionis nempe, conformationis, informationis, et mediationis, ex ipsa humanae communicationis realitate ad naturam signorum aliqualiter intelligendam processimus. Quibus perspectis, quasi colores per spectrum, ita etiam signa secundum differentias communicationis humanae dividi oportet. Alia enim sunt signa quorum magis conscii sumus, et alia quorum vix conscii esse possumus. Alia sunt signa quae solam apprehensionem afficiunt, et alia quae in partem appetitivam tam spiritualem quam sensitivam pertingere intendunt. Alia sunt signa quibus

persona personae per proprium corpus immediate significat; alia sunt per personas intermedias significata; et alia sunt ita aliis signis mediata ut totam quamdam mentis linguaeque evolutionem cognosci oporteat ut verus signorum sensus innotescere possit. Alia sunt signa tam brevia tamque simplicia ut ipsa per se sola significare videantur; et alia sunt quae sensum determinatum non accipiunt nisi per multa et alia signa loco forte et tempore maxime distantia. Alia denique sunt signa quae quilibet fere intelligere valet; et alia non intelliguntur sine praeparatione, initiatione, studio, imo mentis vitaeque conversione.

~~Dividuntur ergo signa secundum capacitatem recipientis, secundum extensionem contextus, secundum mediationem per personas vel per ipsam signorum evolutionem atque elaborationem, secundum intentionem mere denotativam vel etiam expressivam, secundum effectum vel conscium vel magis inconscium~~

Dividuntur ergo signa secundum effectum conscium vel magis inconscium, secundum intentionem magis denotativam vel magis expressivam, secundum immediationem corporalem vel mediationem quae fit vel per alias personas vel per ipsam signorum evolutionem atque elaborationem, secundum extensionem contextus, et secundum capacitatem accipientis. Tanta enim est signorum vis et eo usque extenditur eorum efficacia, quantum valeat spiritus humanus et incarnatus in alium sibi similem influere.

~~Quae cum ita sint, ad aliud longeque perfectius signorum genus mentem paulisper elevemus. Divinum enim Verbum caro factum, carne sua significat, exprimit, communicat non solum quae spiritus sui humani sed etiam quae divina mysteria~~

Quae cum ita sint, ad aliud longe perfectius signorum genus mentem paulisper elevemus. Nam Dei Verbum caro factum sua carne non solum quae humanae naturae sed etiam quae divinae sunt personae manifestat, exprimit, communicat. Quae sane signa, sicut et caetera, elementis concretionis, conformationis, informationis, mediationis ita constant, ut tamen a caeteris eminentia significantis differant. Quae per signa intendere et efficere potest spiritus humanus, ea omnia clarius, distinctius, efficacius potest Christus. Quae autem humani spiritus intentionem superant et efficaciam excedunt, intra proportionem iacent divinae personae. Analogice ergo inter se comparantur signa a Christo facta et caetera, neque per easdem normas haec et illa mensurantur. Utrinque invenitur potentia instrumentalis ad totam formandam humanam vitam, inde a latentibus et inconsciis structuris dynamicis, usque ad intellectus vim, voluntatis aspirationem, cordis sinceritatem. Utrinque invenitur unitatis instrumentum quo homines tam exterius ordinis bonum perficiunt quam interiorem mentis evolutionem voluntatisque constantiam colunt. Sed humanis signis terrestris efficitur civitas, et mysterio Verbi incarnati inauguratur, crescit, perficitur regnum Dei.

Articulus IV

De Comparatione Bonorum.

Quaecumque in ipsa sua ratione contradictionem internam non includant, absolute potest facere Deus.

Porro, divina sapientia totum posse divinae potentiae comprehendit; non enim alia et minor est divina sapientia sed una et realiter eadem ac ipsa divina potentia. Proinde sapientis est ordinare. Et ideo dicendum est tot esse ordines rerum seu mundos possibiles quot requirantur ad omnia absolute possibilia ordinanda.

Praeterea, finis creationis est divina bonitas manifestanda, neque infinita sapientia a fine deficere potest. Quilibet ergo mundus possibilis ita sollerter per divinam sapientiam ordinatur ut ab infinita bonitate divina eligi possit ad eamdem bonitatem divinam digne manifestandam.

Quibus perspectis, statim elucet tribus quasi elementis componi bonum creatum. Primum enim est elementum potentiale quod in singulis possibilibus cernitur. Alterum est elementum formale quod in ordinatione sapienti perspicitur. Tertium denique est elementum actuale seu valor, quod in proportione ad finem et ideo in eligibilitate consistit.

Quod autem in omni bono creato invenitur, in bonis humanis adsit necesse est. Nec cuipiam dubium esse potest, bona particularia ad elementum potentiale pertinere, bonum ordinis ad elementum formale, bonum denique culturale, quo homo ad veram sapientiam producitur, ad elementum actuale seu ad valorem. ~~Sicut enim omne materiale potentia, forma, et actu componitur, sicut verum experiendo, intelligendo, et indicando nobis innotescit, ita etiam in bonis humanis~~

Bona enim particularia, si singula seorsim considerantur, infra proportionem humani appetitus inveniuntur. Nam appetitiones perpetuo recurrunt et ideo, ut bona correspondentia pariter recurrant, systemate quodam dynamico ordinari debent. Quod sane systema bonum ordinis est, quod ad bona particularia comparatur sicut forma artificialis et dynamica ad materialia arte ordinata. Proinde, cum ordines possibiles sint multi, neque de ulla re tam acriter tamque vehementer disputent, imo et dimicent, homines, quam de ordine quodam nuper invento sive technico, sive oeconomico, sive politico, tertium quoddam est humani boni elementum quod valores respiciat, quod iudicium sapiens et voluntatem bonam reddere intendat, quod bonum culturale nominetur.

Neque his tribus ratio hierarchica deest. Tanto enim bonum ordinis bonis particularibus maius est, quanto certa atque continua bonorum series singulis seorsim bonis praeferenda est. Tanto autem bonum culturale bono ordinis praestat, quanto sapiens progressus in ordines semper meliores anteponitur insipienti regressui in mala semper peiora. Sicut enim bonum ordinis facit ut bona particularia continuo recurrant, ita bonum culturale facit ut ~~bonum ordinis sapientier in melius vertitur~~ continuus ordinis fluxus atque mutatio non solum aberrationes evitet sed et in melius semper vertatur.

Cum tamen homo factus sit ad imaginem et similitudinem Dei, ita divinam perfectionem participat ut non solum sit bonum quoddam originatum sed etiam bonum bona originans. Imaginatione enim bona particularia atque sensibilia repraesentat; inquisitione, intelligentia, et conceptione eadem ordinat; reflectione, iudicio, voluntate de imaginatis et ordinatis decernit. Sicut ergo originata bona sunt imaginata, ordinata, et decreta, ita bonum originans, ut quod, est ipse homo et, ut quo, est actio repraesentandi, ordinandi, decernendi.

Praeterea, cum homo ab homine dependeat, eo usque divinam bonitatem participamus ut non solum bona originata sed etiam originantia producimus. Quatenus enim bonum ordinis externum cognoscimus, volumus, facimus, novam hominum generationem procreatam, nutritam, caeterisque vitae instrumentis donatam efficimus. Quatenus autem bonum culturale conservare atque promovere studemus, (1) imaginationem humanam ita evolutam volumus ut quodcumque bonum intellectu concipiatur etiam signis claris atque exactis imaginatione repraesentari possit, (2) intelligentiam humanam ita arte et scientia perfectam volumus ut sollerter ordinare possit non solum sensibilia bona particularia sed etiam spiritualia bona quae tantum imaginatione per signa repraesententur, (3) sapientiam denique atque bonitatem humanam tales volumus quales meliorem semper ordinem certo sciant atque efficaciter velint.

Caeteris vero bonis anteponendas esse sapientiam atque bonitatem manifestum est tum propter intrinsecam dignitatem tum propter consectaria. Quo enim sapientiores melioresque

sumus, eo perfectius Dei trini imaginem in nobis intus exprimimus: sapientis enim est propter perspectam evidentiam verbum verum dicere; et boni est propter bonum vere affirmatum amorem spirare. Quod si neque sapientia neque bonitate deficimus, caetera bona omnia suo tempore sequentur, cum bona particularia per ordinis progressum continuo augeantur, et ordo proficiat secundum sapientiam iudicantis et bonitatem eligentis. Quam ob causam, docuit nos ipse Dominus: "Quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis" (Mt. 6, 33).

Quod si in singulis propter dignitatem et in omnibus ~~propter consectaria praestant sapeintia atque bonitas~~ propter consectaria praestant sapientia atque bonitas, praeter ordinem ordinisque profectum qui exterius cernuntur, alius quidam est ordo homini interior ut pars sensitiva rationi subdatur et debilis humana ratio summo enti, summo vero, summo bono subordinetur. Si enim regit pars sensitiva, regit animal, non qualecumque, sed quod intellectu tamquam instrumento utatur. Si autem ratio a suprema regula ultimoque fine avertitur, iam insipiens facta est; ~~ut verum ordinis bonum iudicat malum, apparens bonum credat vere bonum,~~ iam verum ordinis bonum iudicat malum, et bonum mere apparens affirmat verum; iam continuum illum ordinis fluxum in bona ~~sua~~ mere apparentia vertere nititur et brevi, novarum rerum spe elatus, quaecumque vere bona sint, destruere conabitur.

~~Qui Summi cuiusdam pretii est ergo ordo ille interior~~

Quae cum ita sint, summi cuiusdam pretii est ordo ille interior quo ratio Deo et pars sensitiva rationi subditur.

Quod quidem in omni rerum statu verum esset, in praesenti autem magnum fidei mysterium est, cum homo naturalibus suis viribus non relinquatur sed supernaturaliter adiutus ad ipsum divinum bonum fruendum destinetur. Quam ob causam, etsi forte disputari possit utrum in ordine quodam alio, hypothetico, et mere naturali, homo inordinatus in se ipso ordinem quemdam interiorem producere possit, in actuali tamen rerum statu ex infusis gratiae donis iisque solis ita rectus ordinatusque homo efficitur, ut filius Dei adoptivus constitutus, et Spiritus sancti templum exsistens, accessum personalem ad Deum Patrem habeat.

Quibus perspectis, quanti momenti sint relationes personales facile concluditur. Sicut enim per habitudines, quibus persona personis coniungitur, maxime solidatur eorum exterius ordinis bonum qui communem atque crescentem bonorum seriem coordinatis operationibus secundum instituta communia et secundum habitus usu cotidiano inductos prosequantur, ita etiam bonum culturale, quod exterius ordinis bonum salvat atque perficit, ultimam suam perfectionem atque efficaciam ex iis habitudinibus habet quibus per gratiam sanctificantem Patri per Filium in Spiritu coniungimur et per gratias actuales imaginem Dei trini, unusquisque suam, in nobis ipsis exercemus atque augemus.

Articulus V
De Malo

De Malo

Malum est quod bono opponitur.

Quia ergo bonum dicit et ens et concretum et omnia, relinquitur malum nullam realitatem positivam habere. Quare, non est essentia quaedam mali, et multo minus exsistit malum per essentiam seu summum malum.

Quia vero bonum dividitur in originans et originatum, et bona originata dividuntur in bona particularia, bonum ordinis exterius, et bonum culturale, sequitur malum bono oppositum pariter dividi, ut sint malum originans et mala originata, et ut haec in mala particularia, in malum ordinis, et in malum culturale dividantur.

Praeterea, sicut bonum ordinis importat (1) seriem quamdam continuam et certam bonorum particularium, (2) ~~et~~ operationes coordinatas, (3) ~~et~~ harum expeditionem tum per instituta ~~atque~~ tum per secundam illam naturam quae habitibus constituitur, et (4) personales amoris relationes, ita malum ordinis pro sua gravitate his omnibus plus minus opponitur. Dicit ergo malum ordinis (1) seriem quamdam continuam et certam malorum particularium, (2) ~~et~~ defectum tam operationis quam coordinationis, (3) ~~et~~ harum impeditionem sive per vitia sive per instituta inepta, et (4) personales relationes quae suspicionibus, querelis, rixis, disidiis, simultatibus, bellis, odiisque signantur.

Ulterius, sicut bonum culturale continuum illum exterioris ordinis fluxum in melius semper dirigit, et quodammodo loci et temporis limitatione liberatum, ~~ita singulorum interiorem perfectionem promovet ut~~

ita interiorem hominis perfectionem promovet, ut singuli, altioribus et spiritualibus indigentiis attendentes, homines veri nominis exsistant, et omnes in unam quamdam civitatem culturalem convocentur, ita malum culturale pro sua gravitate his omnibus opponitur. Sicut enim sapientia et bonitas ordinem mutabilem in melius, ita insipientia et malitia eumdem in peius vertunt. Sicut bonum culturale ex materialibus in spiritualia hominem manuducit, ita malum culturale ex spiritualibus ad materialia hominem revocat. Sicut bonum culturale hominem ita liberare contendit ut, suae dignitatis conscius, determinismos sociales frangat, ita malum culturale in externum processum materialem hominem retrudit. Sicut bonum culturale animorum unitatem intendit, ita malum culturale vel vi et armis, vel indigentiis oeconomicis, vel insidiis psychologicis exteriorem uniformitatem imponit.

~~Praeterea, sicut exsistit motus quidam circularis ex situatione in intelligentiam, ex intelligentia in voluntatem, ex voluntate in situationem. Quo sane motu proficit in melius exterius ordinis bonum, quamdiu intelligentia augetur et sequitur voluntas~~

Quae originata mala, sive particularia, sive ordinis, sive culturae, ex malo originante procedunt. Quare, cum homo sit bonum originans per imaginationem, per intelligentiam, et per rationalem libertatem, per defectum earumdem malum originans efficitur. Nam per defectum imaginationis impeditur repraesentatio bonorum particularium; per defectum intelligentiae impeditur repraesentatorum ordinatio; per defectum libertatis rationalis, aut peior ordinatio iudicatur melior aut melior, ut melior agnita, tamen non eligitur.

Deficit autem imaginatio, vel (1) inquantum ne sensibilia quidem bona repraesentat quae concreta, sensitiva, et forte diuturna experientia nondum innotuerunt, vel (2) inquantum ad efficacem signorum usum non pervenit ut repraesentari possint tum bona spiritualia tum maiores bonorum particularium series, vel (3) inquantum ordinanti intelligentiae parum inservit, partem forte materiae ordinandae subministrans sed non totam, ut rudes subtiliora in ratione agendi omittant, frivoli et improvidentes nisi de momento praesenti non cogitent, phantastici vivida quidem imaginatione eaque sola ducantur, ~~excentrici et solitarii ita toti in suis occupentur ut~~ excentrici et solitarii ab ea empathia deficiant quae ~~ad~~ aliorum sentimenta, desideria, timores, gaudia, tristitias, quodammodo praesentiat atque exspectet.

Intelligentia deinde deficere potest tum secundum comparationem ad materiam repraesentatam tum secundum comparationem ad rationem iudicantem. Sed quantum ad primum attinet, intellectus nisi per accidens non deficit. Quae enim intelligibilis unitas vel relationes in imaginatis perspicit, illa sane iisdem imaginatis propria est. Sicut tamen in speculativis alia accidit ~~alia imaginari~~ imaginatione repraesentari et re vera alia sentire, ita etiam in practicis accidit alia ~~imaginari~~ repraesentari et alia de facto evenire. Quod sane accidens illa non excludit qui, primo quodam intelligendi actu contentus, non ulterius inquirat utrum res vel situatio secundum omnes suos aspectus ita se habeat prout imaginatione repraesentata est. Imo, cum practica etiam sint futura, cum futura incerta sint, non solum diuturnior rerum usus

requiritur ut pedetentim evolvatur intelligentia practica, sed etiam, hac evolutione peracta, manet perpetuae cuiusdam vigilantiae necessitas ne olim peritissimi iam nunc ineptiores inveniamur.

Quod si deficere potest intelligentia relate ad ea quae imaginatione repraesentantur, longe facilior atque communior est defectus relate ad iudicium praeparandum. Nam sapientis est iudicare. Sapiens autem non est qui hanc tantummodo illamve materiam rite intelligit, et multo minus sapiens est qui nullam materiam perspectam habet. Sed plus quam humana est sapientia quae in omnibus et singulis rebus intellectis fundatur. Et ideo relinquitur eatenus ad sapientiam humanam pertingi, quatenus per quamdam ipsius intelligentiae intelligentiam summa saltem lineamenta omnium rerum perspiciuntur, isque earum ordo mutuaque interdependentia innotescunt, ut et vana dubia sperni possint et fundata dubia admittantur, ut insolubiles quaestiones qua tales agnoscantur et, quemadmodum circa solubilia procedendum sit, aperiatur. His enim ignotis, tamquam navis gubernaculo privata, huc illuc fluctuatur ratio neque ad firma certaque pervenit iudicia, cum iudicii criterion seu motivum sit perspecta evidentiae sufficientia, criterion autem sufficientiae non ex singulis rebus seorsim sumptis desumi possit, si quidem omnes tam in entitate quam in bonitate inter se colligantur.

Tertio deficit homo in ipsa sua rationali libertate per quam, tum ordines intellectos, tum particularia bona intra ordines contenta, ad rationem valoris iudicando promovet et eligendo actualitate donat. Quod quidem in homine et

intrinsece ~~in se~~ optimum est et caeterorum iudex atque dominus. In se optimum est ut, intra conscientiam rationalem et vi ipsius rationalis conscientiae, propter perspectam evidentiam affirmetur verum, et propter bonum vere affirmatum spiretur boni amor. Caeterorum iudex atque dominus est, cum bonorum particularium repraesentatio intelligentem ordinationem postulet, et multae ordinationes possibiles, acuta intelligentia inventae, rationalem comparationem, evaluationem, electionem exigant.

Optimi autem pessima est corruptio. Quod enim deficit rationalis conscientia, hoc factum quoddam est. Cur autem deficiat, neque causa proportionata neque vera ratio assignari potest. Malum enim quod rationali conscientiae opponitur, irrationale est. Quod irrationale est, eius nulla est vera ratio, secus irrationale non esset. Quod irrationale est, eius nulla est proportionata causa; quod enim in homine, rationem inferius, in actus humanos influit, non plena et proportionata causa actus humani exsistit, sed incompleta et partialis quae complementum rationalis iudicii liberaeque electionis per se exspectet. Cur ergo peccaverint angeli? Cur Adamus? Non est "cur." Imo si fuisset "cur," non fuisset peccatum. Nam propter veram rationem rationaliter iudicat et eligit conscientia rationalis; et qui per rationem eamque veram ducitur, ille non peccat. Quodsi alia praeter rationalem conscientiam assignetur causa proportionata, processus non rationalis sed mere naturalis fuisset, ut iterum excludatur peccatum.

At ~~Quod~~ si caeterorum iudex dominusque corrumpatur, corrumpantur caetera necesse est. Imo, ipsa profectus ratio atque vis in vim quamdam regressivam atque destructivam convertitur. Ideo enim exterius ordinis bonum ex parvis quibuscumque initiis per meliora semper inventa in maximam civilizationis perfectionem procedit, quod ipsa materialia sunt in potentia intelligibilia. Nam nisi iis potentialis intelligibilitas inesset, nulla esset actualis intelligibilitas ~~ab intellectu inveniri, a ratione iudicari~~ ab intellectu invenienda, a ratione iudicanda, a voluntate eligenda; quae si non esset, nullatenus bonum ordinis exsistere vel augari posset. Sed, uti nuperrime vidimus, quod deficit conscientia rationalis, irrationale est, nullam veram rationem habet, neque causa eius proportionata assignari potest. Quod si irrationalis et absurda est voluntatis electio, pariter irrationalis atque absurda est consequens actio; si irrationalis et absurda est actio, haud minus irrationalis atque absurda est obiectivae situationis mutatio. Iam vero, totalis obiectiva situatio ex parvis et accumulatis mutationibus constituitur. ~~[illegible]~~ Qua ergo lege ex primitiva penuria ad maximas civitatum divitias proceditur, eadem lege per parvas sed accumulata irrationalia ~~atque absurda in eam pervenitur situationem totalem quae penitus irrationalitate atque absurditate penetratur.~~ ad situationem penitus irrationalem pervenitur. ~~Quum~~ Quatenus vero situatio irrationalis est, quatenus absurda est, eatenus ne potentia quidem intelligibilis est. Scatent problemata, sed desunt solutiones, cum problema

ad solutionem comparetur, sicut intelligibile potentia ad actu intelligibile. Febrili quadam activitate quaeruntur remedia sed ~~i~~ frustra, cum ea tantummodo intellectu inveniri possint quae morbum alium in alium forte peiorem commutent. Maxima sane est vis intellectualis, cum potens sit omnia facere et fieri; tanta tamen non est ut absurdum actu intelligat; et ideo post multa et vana tentamina alii de rebus humanis desperantes in solatium deserti confugiunt;

~~alii vana spe ducti novas semper atque exquisitiores fingunt~~ doctrinas

theorias ad genus humanum salvandum

alii novas atque semper exquisitores fingunt doctrinas

ut speculatio actioni et disputationi

alii alias et novas et exquisitiores invehunt doctrinas

ut omnes diversa opinantes circa nullum commune consilium

consentire possint; alii denique novarum rerum prophetae

hominem iudicant animal quoddam symbolicum eumque per

vacuam quamdam propagandam ~~et per maximarum poenarum~~

~~terrorem regendum~~

alii alias et novas semper et exquisitiores invehunt doctrinas,

ut omnes diversa ~~opp opiantias~~ opinantes circa nullum

fere commune consilium consentire possint; alii denique,

novarum rerum prophetae, hominem iudicant animal quoddam

symbolicum, humanumque ordinis bonum in eo ponunt quod

socii maximis et gravissimis poenis perterriti efficiantur

dociles, ut, dociles facti, per vacuam quamdam propagandam regantur.

Quo tamen in carcere quis custodit custodes? Quonam captivorum gregem ducunt, qui non sapientia neque bonitate sed sola potestate emineant?

His igitur perspectis, non solum progressivum sed etiam regressivum esse constat motum illum circularem, quo situatio in intelligentiam, intelligentia in voluntatem, voluntas in actionem, actio denique in situationem mutandam agit. Proficit sane exterius ordinis bonum, quatenus potentialem situationis intelligibilitatem actuat diligens intellectus. Sed quatenus subrepit absurdum, eatenus amor in odium, virtutes in vitia, ~~instrumenta~~ instituta in instrumenta nequitiae, coordinatio in pugnam, operatio in inertiam, bonorum profluvium in egestatem, ipsiusque intellectus potentia ad omnia in impotentiam transit. Quam ob causam, magna imperia magna latrocinia nominavit S. Augustinus; eamdemque ob causam, sicut lapides sursum in aerem proiecti alius alio altius ascendunt sed omnes in terram denuo cadunt, ita in rebus humanis alii populi aliis bonum ordinis magis perfecerunt ut tamen singuli suo tempore decadentiam atque disintegrationem subirent.

~~Neque perturbato ordine externo, salvum tutumque manet bonum culturale.~~ Quod enim interiorem hominis perfectionem promovere intendit, eatenus suo fini ~~fix~~ ideali fidelis et constans eatenus suo fini ideali fidele ~~et~~ constans esse potest, quatenus irrationalitati atque absurdo penitus obsonitur. ~~Eatenus autem~~

Neque perturbato ordine externo, salvum tutumque consistere potest bonum culturale quod interiorem hominis perfectionem in primis intendit. Haec enim perfectio finis quidam est. Sed qualis quisque est, talis finis videtur ei. Qui ergo in bonitate inaequales sint, alii aliam iudicant interiorem hominis perfectionem; qui autem de fine non consentiant, de mediis aptis dissident ut eadem studia, eaedem scholae, iidem magistri aliis humanitatis et veritatis fontes, aliis autem antiquitatis tristia monumenta esse videantur.

~~Quae tamen mentium divisio paulo altius consideranda est. Exsistentium enim hominum est interior illa perfectio quam intendit bonum culturale; neque eodem modo exsistunt in societate absurdo infecta neque eadem sub omnibus aspectibus haec perfectio interiorque vita manere possunt, ubi oreseit absurdum sociale~~

Quae tamen mentium divisio paulo altius consideranda est. Aliud enim est bonum culturale quod naturali desiderio intelligendi, rectitudinis, verae felicitatis, et immortalitatis concipitur atque evolvitur. Aliud autem est bonum culturale quod concretis humanae vitae adiunctis ita accommodatur ut theoria et praxis non toto caelo inter se distent. Illud enim ex altissimis humanae naturae radicibus depromitur ut pulcherrimum quoddam ideale definiatur. Hoc autem usui coditiano consonum est. Quae quidem duo eo magis inter se distant, quo magis concreta humanae vitae adiuncta et cotidianus exsistentium hominum usus absurdo inficiuntur.

Quam ob causam, qui bonum culturale et ideale prosequuntur, otiosum finem quaerere videntur, cum ideale illud ab exsistentibus hominibus nimis alienum inveniatur. Qui autem bonum culturale concretis vitae adiunctis accommodant, bonum illud detorquent atque corrumpunt, cum illud absurdo consonum faciant.

Neve hanc conclusionem miremini. Prima enim alienatio facta est cum intra rationalem conscientiam exortum sit irrationale. Quo admisso, fieri non potest quin cultura et vita, theoria et praxis, ideale et reale, ita inter se opponantur, ut alterum alteri alienissimum iudicetur. Tolleretur sane haec alienatio si conversetur vita, reformaretur praxis, trasformaretur reale. Sed stante primo irrationali, neque vita convertitur, neque praxis reformatur, neque reale transformatur. Stante primo irrationali, aliam minusque arduam incedunt homines viam, ut cultura vitae accommodetur, theoria praxi adaptetur, et ipsum ideale quasi mythus vel somnium reputetur.

Cuius viae fructus mentium divisio est, cum omnes aliquod bonum salvum retinere velint sed alii aliis minus decipiantur. Totalitariani bona materialia et scientiarum profectum laudant, sed individualem interioris vitae perfectionem vitio vertunt. Liberales personalem integritatem, responsibilitatem, libertatem caeterorum bonorum fontem affirmant, sed omnem religionem positivam atque supernaturalem

Prima ergo alienatio, qua ipsa rationalis conscientia contra se dividitur, in aberrationem culturalem abit. Ipsum bonum culturale, quod aptum natum est ad interiorem hominis perfectionem communicandam atque augendam, prava honestis et falsa veris admiscet atque confundit. Non minus quam exterius ordinis bonum, bonum etiam culturale tam legi regressus quam progressus legi subicitur. Ubi tamen ordo exterior, rebus inhaerens deficere nequit quin ipse defectus manifeste perspiciatur, bonum culturale signis inhaerens ita corrumpitur ut tamen et latius spargitur et diutius commoratur rebus inhaerens certo loco et tempori restringitur, neque deficere potest quin ipsis rebus deficientibus rebus inhaerens, certo loco certoque tempore restringitur, neque deficere potest quin per manifestam inefficaciam, decadentiam, disintegrationem vitia sua omnibus inspicienda exhibeat, culturale bonum, signis inhaerens, non solum omnia loca et tempora pervadere potest, sed etiam ita corrumpitur ut corruptionem suam tegat, ita falsa disseminat ut vera reputentur, ita mala spargit ut hominibus minus rationalibus maxime placeant.

Cuius alienationis signa atque consectaria ubique inveniuntur. Qui primi induxerunt idola ad numen supremum repraesentandum, non solum homines sensibilibus immersos ad Deum sed Deum etiam ad homines conducere volebant. Venatores qui animalia quasi deos colebant, agricultores qui deas fertilissimas fingebant, nomades qui corpora caelestia venerebantur, communem diversi voluntatem habuerunt ut religio concretis vitae adiunctis non aliena sed consona atque

intellectu facilior videretur. Quod si imperatores multas et diversas gentes in unum regnum ~~subjug~~ ~~subic~~ subiciebant, sacerdotes singularum gentium deos in unum pantheon adunabant, ut mythologi genealogiis collectionem explicarent. Esto magnos philosophos crisin deorum instituisse. Sed ab ipsis fere initiis multae et oppositae fuerunt philosophiae, neque ~~purior quaeque et altior~~ purissima quaeque et altissima etiam concretis vitae adiunctis maxime consona invenitur; imo, dum Academia ad scepticismum, dum Lycaeum ad empirismum, dum elevatio Plotini ad miras Iamblichi superstitiones quasi humano pondere declinantes vergebant, satis sibi constabant qui partes atomistarum et Epicureorum placita sustinuerunt. Neque antiqua suggerimus exempla quasi deessent recentiora. Si enim angustiis premimur, non solum propter exteriorem ordinem periclitantem angimur, sed etiam propter ~~i~~ profundam atque fere universalem animorum alienationem. Nobiscum Protestantes ita religionem positivam et supernaturalem retinent, ut tamen illi ecclesiam visibilem et vera auctoritate praeditam reiciant. Nobiscum liberales personalem integritatem, libertatem, responsibilitatem ita laudant, ut tamen illi omnem religionis supernaturalis utilitatem vel possibilitatem negent. Nobiscum totalitariani exterioris boni augmentum iustamque distributionem praedicant, qui tamen omnem religionem ~~funestam deceptionem et omnem interioris vitae perfectionem~~ funestam deceptionem et omnem aliorum philosophiam ideologiam iudicent. Quibus profundioribus differentiis accedunt multa

et alia undequaque provenientia, ut dividantur primitivi populi et magis exculti, occidentales et orientales, singulae nationes, classes, coetus, imo et homines diversi coloris, neque solum ob actuales difficultates sed etiam propter ~~acerbas memoriam acerbas praeteriti temporis memoriae~~ acerbam praeteriti temporis memoriam futurique iustum terrorem.

Quod ergo intra rationalem conscientiam exoritur irrationale, et hominem ipsum sibi alienum facit, et homines inter se, et homines a rerum natura. Quae tamen mala, etsi fere innumera atque gravissima, tamen minora sunt. Fecit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam. Fecit hominem rationalem ut, sicut Filius a Patre ut Verbum et sicut Spiritus sanctus a Patre Filioque ut Amor procedunt, etiam homo suam quisque Dei trini imaginem exprimat, cum vi conscientiae rationalis verum propter perspectam evidentiam affirmet et boni amorem propter bonum vere affirmatum spiret. Fecit hominem personam ut, sicut divinarum personarum una est tribus communis essentia atque operatio, ita etiam personae humanae communi ordinis et culturae bono fruerentur. Fecit hominem personam Deo similem ut eum diligeret, in filium adoptaret, in vitam aeternam produceret. Ab hac tamen divina intentione recedit qui ita abusus est sua Dei imagine ut et sibi et aliis totique naturae se alienum fecisset. Ab hac divina intentione recedit qui oblatam Patris amicitiam, et collatam Filii assimilationem, et inhabitantis Spiritus consuetudinem, et vitae aeternae spem indeclinabilem noluit. Quod nolle, peccatum est, Dei offensa est, alienatio a Deo est. Sed cui Deus alienus est, ei verum per essentiam alienum est, ei bonum per essentiam

alienum est, ei ens per essentiam alienum est. Qui his alienus exsistit, omni vero, omni bono, omni enti alienus reapse est, cum ea quae per participationem dicantur eatenus vera, bona, entia sint quatenus illud participent quod per essentiam verum, bonum, ens sit. Qui tandem denique Deo et sibi et hominibus et reliquae naturae alienus est, qui toti vero, toti bono, toti enti alienus est, quid ei dici potest ab ipsa divina bonitate praeter illud, "Discedite a me maledicti in ignem aeternum." (Mt. 25, 41). Discedunt quia accedere noluerunt. Maledicuntur quia mali sunt. Abeunt in poenas aeternas, non fallibili iudicio vel inepta lege ~~humana, sed divino et ea praeconcito decreto~~ humana, sed divino decreto quod, quamvis intellectum nostrum excedat, divinitus tamen revelatum certo credimus et ex divina sapientia atque bonitate processisse certo scimus.

Articulus VI

E malis bonum.

Sicut bona nexu multiplici inter se colligantur, ipsaque mala bono opposita mutuato ordine quodam aliud ex alio procedit, ita e malis in bonum renovari atque restaurari potest mutabilis atque materialis creatura.

Nam in primis ipsa numerica rerum multiplicatio perpetuam quamdam renovationem importat. Moriuntur senes iam correctionis incapaces, sed vitiis nondum acquisitis nascuntur parvuli. ~~Ita~~ praeterea in singulis populis ita decidit atque collabitur exterius ordinis bonum, ut tamen alius populus minusque corruptus, quasi lampada acciperet, artes ab alio inventas ordinemque ab alio institutum in novam perfectionem adducere possit. Bonum ~~denique~~ denique culturale ita priori aetate extingui potest, ut denuo ~~posit~~, sub aliis adiunctis apud alios renascatur; quod nobis notissimum est, cum culturam occidentalem formaverint poetae, geometrici, ~~mathetici~~ philosophi graeci, iurisque consulti romani.

At praeter hanc renovationem fere materialem, qua ita interit malum ut in alio servetur bonum, etiam verioris nominis exsistunt conversio e malis bonorumque restauratio, ut sive in individuo, sive in societate, sive in processu historico, ipsa malorum particularium perpessio ordinem doceat, mala ordinis bonum culturale promoveant, et mala culturalia redemptorem divinitus missum flagitent.

Omnino enim perspicuum est e malis particularibus perpessis addisci ordinem. ~~Ex~~ Nam ea lege vel naturalem vel stabilitum rerum ordinem addiscimus singuli ut, ubi sensus negligentior vel intellectus segnitior fuerit, per perpessum dolorem vel damnum cautiores et acutiores

in posterum efficiamur. Quod autem singulos singula et particularia docent mala, idem multiplicata et particularia mala docent ~~societatem. Exterioris enim ordinis profectus atque augmentum societatem. Minus enim homins trahit~~ societatem. Minus enim homines trahit futurae abundantiae spes incerta, quam impellit praesens atque onerosa miseria ut, expertis et probatis consuetudinibus relictis, novam quamdam rerum ordinationem invehant, tentent, accipiant.

Quid autem mala faciant ut in individuo interior perfectio vel in societate augeatur bonum culturale, breviter et simpliciter dici non potest. ~~Quae~~ Nam si ea excipias quae universale Dei dominium respiciant, nisi dispositive non influunt caetera in usum rationalis libertatis. Quare ne simillimis quidem ex causis semper ~~exse~~ exspectandi sunt similes effectus. Neque in rebus humanis, ubi tanta est varietas, facile inveniuntur causae re vera similes. Quae ergo subiungemus exempla, magis quid responderi possit innuant quam firmam certamque legem statuere volunt.

~~Iam vero corporis animaeque humanae unio substantialis adeo intima est ut malum corpori inflictum novam quamdam dispositionem menti voluntatique imprimere solet. Quam sui mutationem inter alios fines intendit asceticorum praxis Quod metaphysice dictum, etiam psychologice exprimi potest si quidem una unius conscientiae orientatio ita male corporali ex inertia revocatur~~

Iam vero corporis animaeque humanae unio substantialis ~~ad eo inter adeo~~ adeo intima est, ut malum corpori inflictum novam quamdam dispositionem menti voluntatique imprimere solet. Quod metaphysice dictum, etiam psychologice exprimi

potest. Quae enim in plantis cernitur "lex effectus," vel plenius in consciis valet, ut ~~fruit~~ fructuosa operatio eiusdem repetitionem evocet, infructuosa autem appetitionem et nisum diminuat forteque exstinguat. Quam ob causam, praxis ascetica liberationem quamdam spiritus producit, cum appetitus sensitivos hebetet atque obtundat, totiusque conscientiae orientationem in altiora quodammodo dirigat. Quem finem etiam intendunt parentes qui filios castigent, et simul alium, quem superius diximus, ut ex perpesso malo stabilitus rerum ordo certius et efficacius addiscatur. Quod si ad ~~[illegible]~~ poenas legales transimus, non invenimus nisi quamdam analogiam. Ubi enim parentes interiorem filii ordinem intendunt, ut pars sensitiva rationi subdatur et ipsa ratio erudiatur, auctoritas publica non privato sed publico bono consulit, cum malos carcere includat vel capite damnet, ut caeteri scilicet tum legem addiscant tum ad legem observandam salutari quodam timore impellantur.[8]

~~Quibus exemplis illud commune est quod in particularibus malis moventur individua non solum ad ordinem addiscendum~~

Quibus exemplis illud commune est quod particularibus malis non solum moventur individua ad ordinem addiscendum sed etiam ipsa mali perpessione vel eiusdem timore ad bonum efficacius volendum convertantur. Aliud ergo genus aggredimur, si eos consideramus qui ex aegritudine vel mala fortuna resipiscant. Non enim ex ~~tot~~ particulari quodam malo eoque solo moventur, sed potius ex tota vitae ratione collapsa. Nam quod olim omnibus viribus et fere continuo intendebant,

iam infirmitate corporis vel opum egestate ~~itu~~ ex inopinato iis subtrahitur. Novum vivendi modum atque rationem excogitare debent, neque otium iis deest ut, paulo altius ascendentes, in ipsam humanam conditionem inquirant, sensum finemque huius vitae meditentur, quid sapientia, quid bonitas dictitent et attentius considerent et honestius decernant.

At maius quoddam exemplum remanet. Sicut enim homo particularis super totam suam vitam reflectitur ut eam deinceps ~~eam ordinat~~ sapientius atque honestius ordinet, ita etiam exsistit universalior quaedam reflectio quae ordinem universi inspiciat, quae systematice hominis munus finemque excogitat, quae, principiis exinde inventis, crisi subicit tam interiorem hominis vitam quam exterius ordinis bonum. Quam sane reflectionem usitato nomine philosophiam nuncupamus. Sed sicut nomen ita rem ex Graecis habemus. Et cum ipsa res etiam minus a primitivis quam ab hodierno vulgo sit ~~habita~~ possessa, quibusnam sub adiunctis ortum sumpserit (quantum fieri potest) dicendum esse videtur.

~~Facta ergo, summis lineamentis adumbrata, fere sequentia sunt.~~ (1) Primae et magnae civilizationes, post a. 4000 ante Christum exortae in Aegypto, in Mesopotamia, in regione Aegaea, ~~apud~~ secundum flumina Indus et Hoangho, et multo posterius in Mexico et Peru, ita exterius ordinis bonum mirabiliter perfecisse videntur ut tamen ad superiorem culturam non pervenirent. (2) Eodem fere neque tam magno temporis intervallo (ab anno 800 ~~ante~~ ad 200 ante Christum) independenter ~~in Sinis, in Indis, et inter Graecos,~~

Primae ergo et magnae civilizationes, quales in Aegypto et Mesopotamia (post a. 4000 a. C.) novimus, secundum flumina Indus (post 3000) et Hoang-ho (post 2000), in Mexico et Peru (post Christum), ita exterius ordinis bonum ad magnam deduxerunt perfectionem ut organizatione scriptis regulata uterentur, publica opera maximae utilitatis summa sollertia facienda curarent, exercitibus coactis dominium proprium late extenderent, urbesque magnis aedificiis stylo nobis exotico ornarent. At eo non pervenisse videntur ut mentalitatem quamdam mythicam excuterent, ut ultimas explicite ponerent quaestiones, ut ratione duce et personalis libertatis conscii omnia crisi subicerent. Quod tamen brevi quodam temporis intervallo (ab a. 800 ad 200 a. C.) factum est in Sinis, in Indis, inter Graecos, ubi mythus expugnatus est, ubi omnes cuiusqumque fere indolis philosophiae sunt exortae, ubi crisi subiecti sunt dei, religiones, consuetudines, instituta, ubi praedicatae sunt moralitas rationalis et personalis responsibilitas. Quo tempore effloruerunt neque magni imperii tranquillitas stabilis et neque bene organizata prosperitas sed, uti fieri solet inter multas parvioresque civitates statusque, rebus prosperis citius succedebant bella saevique triumphi. Praecessisse ergo videntur primae civilizationes, ut artes atque instituta ab aliis inventa alios pararent, qui in rebus incertis altiorem illam reflectionem peragerent, superiorisque culturae ea ponerent fundamenta, quae hodie usque maximum quoddam haberent momentum.

At eiusdem tendentiae exemplum ipso nostro tempore praebetur. Nam mala ordinis sane patimur, qui ex primo quodam et fere universali bello in gravissimam et fere universalem crisin oeconomicam processimus, ex crisi in alterum et fere universale bellum, ex altero denique bello in communem illam insecuritatem atque impotentiam quam experimur omnes. Quae tamen ordinis mala de se neque sapientiam donare neque bonitatem conferre possunt. Eatenus tantum se extendit eorum efficacia ut hominem ad reflectendum disponant, neque ipsa effecta dispositio ambiguitate caret, cum quidquid recipiatur ad modum recipientis recipiatur. Qui iam pridem absurdo decipiuntur, illud omnibus viribus faciendum curant ut caetera quaecumque absurdo consona atque accomodata fiant.

Qui absurdum undenam sit certo sciunt, ita ideale tuentur ut quid boni facere possint parum perspiciant. Qui perplexi et ancipites inter haec extrema haerent, tam doctrina quam actione deficiunt. Sed si fructus vel parvus vel nullus perspicitur, profunda quaedam peragitur praeparatio. Minus iam audiuntur qui paulo ante audacter annuntiabant progressum humanum esse spontaneum, automaticum, necessarium. E rebus naturalibus in ipsum hominem convertitur attentio, ut de homine authentico quaeratur et de multiplici alienatione humana consideretur. Quot fundamentales erant directiones seu orientationes philosophicae, tot remanent; sed maximum illud intercedit discrimen ut ipsae orientationes, quas nuperrime nisi in libris et scholis nemo fere magni fecerit, iam ex ipsa nostra situatione concreta sensum, vitam, realitatem, valorem accipere videantur.

Qui enim ita se impotentes sentiunt ut nihil intendant nisi quam maxime frui bonis immediatis, bene intelligunt antiquum illud praeceptum, Carpe diem. Qui de homine authentico loquuntur, in memoriam eos revocant qui olim de homine caelesti, de autanthropo, de sapiente disserebant. Subtilissime nobis exponitur quid significet se-esse,[10] quod tamen antiquitus illo innuebatur praecepto, Cognosce te ipsum. "Alienatio" et "absurdum" ita sonum edunt novum, ut vetustum dicant peccatum. Neque ipsa mors, e latebris repressae conscientiae nuper liberata, alium praebet aspectum quam inimicum illum atque formidolosum quem supponunt scripta Paulina. Reflectionis ergo contemporanea signa sunt clarissima. Eo usque ~~contemporaneis~~ et communibus indigentiis respondent, ut in ipsas litteras humaniores haud parvum influant. At alia est reflectio, et alia est salus. Sicut enim "lex paedagogus noster fuit in Christo, ut ex fide iustificemur" (Gal. 3, 24), ita per reflectionem rationalis conscientia evigilat atque disponitur, ut ad perfectiora perduci possit. Sicut autem "ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati"(Rom. 3, 20), ita etiam mala particularia et mala ordinis quae patimur ad reflectionem nos movent, sed ita ipsa reflectio manifestat ~~de se aperit~~ nos absurdo esse implicatos quin ex absurbo nos extricet, et multiplicem nostram revelat alienationem quin reconciliationem conferat.

~~E malis bonum fieri diximus. Nam ex malis particularibus ad exterius ordinis bonum impellimur, et ex malis ordinis in bonum culturale interioremque cuiusque rectum ordinem disponimur. Ad haec tamen assequenda praeter dispositivam requiritur causa perfectiva, ut ordo interior exteriorem regulet, et exterior caetera bona comparet.~~

Articulus VII

De impotentia humana.

Ita e malis in bonum renovari atque restaurari humanum genus diximus, ut mala particularia in bonum ordinis hominem impellant, et mala ordinis in bonum culturale hominem disponant, quin tamen ipse homo mala culturalia evincere possit. Quae sane impotentia quam sit nefasta, perspicuum est; nisi enim eradicantur mala culturalia, insipientia atque malitia manent in disordinationem atque corruptionem hominis interioris, ut ordo exterior perpetuo in peius commutetur, et particularia minuantur bona malaque multiplicentur, donec penitus exstinguatur bonum humanum. Regnat enim peccatum in mortem.[11]

Cur autem homo ita sit impotens, quamvis libero polleat arbitrio, quaestio obscurior multis videtur, quam tamen praeterire haud possumus. Nam ipsa humana in bonum impotentia non solum manifestat quaenam sit tenebrarum potestas diabolique potentia sed etiam, cum contraria contrariis curentur, viam indicat quam incessit Dominus et Salvator noster ut nos e malis liberaret et in bonis confirmaret. Quam ob causam, humanae impotentiae quattuor quasi radices exponamus oportet, nempe, et intellectus obscurationem, et voluntatis inefficaciam, et obiectivam boni difficultatem, et ipsam denique a Deo alienationem.[12]

Et in primis nemo non videt quanta efficacia et bonum impediant malumque necessitent ignorantia atque error. Voluntatis enim est intellectum sequi et ideo, nisi antecesserit vera boni cognitio, sequi non poterit vere boni volitio. Quod quamvis subiective culpa carere possit,

obiective tamen perpetuum quemdam malorum fontem constituit; non enim fragilitate vel inconstantia ab ignorante vel errante ~~fit malum ut sperare possimus eum interdum fortem et constantem fore bonumque facere facturum esse, sed fit malum, ut sperare possimus eum interdum saltem fragilitatem suam superare fragilitatem esse superaturum atque bonum facturum.~~ fit malum, ut sperare possimus eum interdum saltem fragilitatem esse superaturum bonumque facturum, sed ei virtus est atque perfectio ~~non~~ ut optimum quod cognoscat faciat, quod tamen optimum bono inferius ~~est atque~~ atque contrarium est.

Dixerit tamen quispiam ignorantes atque errantes addiscere posse. At qui addiscere potest, non tamen addiscit nisi vult; neque vult nisi bonum addiscendi cognoscit. Quo facilius ergo addiscendi bonum perspicitur, eo plures et fidelius et ardentius addiscendi labori incumbunt. Florent ergo artes technicae et scientiae naturales, neque ~~eae maxime~~ negliguntur scientiae humanae e quibus ~~sperare~~ sperari potest quoddam bonum hominibus obventurum. At ipsa haec spes ignorantia et erroribus ita coarctatur atque limitatur ut, quo magis studia ad sapientiam gignendam et ad virtutem ~~omnem~~ promovendam accedant, eo pauciores inveniantur qui seriam atque constantem addiscendi voluntatem exhibeant. Neque horum paucorum una est mens, unaque sententia. ~~Sed in multas et oppositas abeunt partes, ut quidquid verum sit saltem disputari possit, et quidquid bonum sit, saltem dubitari possit. ut omne verum fiat disputabile, et omne bonum sit dubitabile.~~

Sed ita in multas et oppositas abeunt partes ut, si solos philosophos adeas, nullum fere videatur verum quod disputari non possit, et nullum fere bonum quod omni dubio maius exsistat.

Neve hanc ignorantiam credas casu accidere, quasi sperare liceret hominem aliquando meliori fortuna esse usurum, ut his de tenebris ipse se eriperet atque liberaret. Quae enim ab omnibus hominibus expedite, firma certitudine, et nullo admixto errore innotescere soleant, non solo interioris lucis criterio iudicantur, sed etiam usu atque experientia constant. Sicut enim primitivi profana et practica quasi ratione duce obeunt, ut tamen sacra mythis commisceant et, quodcumque longius ab immediata experientia iaceat, artibus magicis regere conentur, ita etiam moderni in naturalibus scientiis maxime proficiunt ubi experimenta excogitari atque applicari possint, humanasque excolunt scientias quatenus ad instar naturalis scientiae reduci posse videantur, sed caetera incognoscibilia ~~conclamant~~ conclamitant quasi ipsa haec ritualis verborum iteratio anxios suos animos quodammodo demulceret. Cuius rei ratio haud obscura est. Uti enim superius diximus, qui puro intelligendi desiderio verique amore ducantur, ea concludunt ~~quae nisi vacuum atque inane quoddam ideale depingere videantur~~ quae aliena nimis a concretis vitae adiunctis usuque humano videantur; qui autem ipsi conditioni atque situationi humanae inhaereant, per illud irrationale atque absurdum decipiuntur, quod ex conscientia rationali sed deficiente in actiones et per actiones in totam humanam

vitam procedat atque penetret. Quos enim fingebat Plato in spelunca ligatos qui nisi umbras numquam vidissent, ~~in rei veritate sunt homines peccaminoso huic mundo ita assuefacti ut absurdum censeant quodcumque proprae irrationalitate atque absurditati parum conveniat.~~ ipsi sumus peccaminoso huic mundo ita assuefacti, ut absurdum censeamus quod consueto absurdo parum conveniat. Quod si pauci quidam e specu elapsi in solis lucem conscendunt, vel quod ipsi vident quodammodo dubitant, vel certi aliis vix persuadere possunt. Quae cum ita sint, solemniter docuit conc. Vaticanum relativam illam divinae revelationis necessitatem "ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint" (DB 1786).

<u>Cui intellectus obscurationi accedit voluntatis inefficacia</u>.[13] Libero sane pollemus arbitrio. Quod tamen quid sibi velit et quo usque valeat, iam perpendendum est.

15) De malo originali.

Bonum ita consideravimus, et malum bono oppositum, et quamdam e malis boni renovationem atque restaurationem, ut tamen quaestionem omiserimus difficiliorem. Quam diutius praeterire non possumus. Quaeritur scilicet cur suam partem non faciat liberum hominis arbitrium. Mala enim particularia in exterius ordinis bonum hominem impellunt. Mala deinde ordinis in bonum culturale hominem disponunt. Cur ergo homo impulsus atque dispositus suo non utatur arbitrio libero, ut bonum culturale eligat, quo ordinem exteriorem sapienter dirigat, unde magis in dies bonis particularibus fruatur? Cur omnia in Christo instauranda docet Apostolus (Eph. 1, 10) cum ipsa libertas humana sufficere videatur, ut saltem bonum homini connaturale restauret?

Et in primis dicendum est libertatem humanam ita circa obiecta versari et ita in actibus consistere, ut aut velle aut nolle possimus, ut hoc vel illud eligere in nostra potestate ponatur, ut in verum bonum intendamus aut ab hac intentione deficiamus.

At deinde addendum est inter nudam volendi potentiam et ipsum secundum volendi actum alios intercedere primos actus, qui facile vel difficile mobiles sint, et dispositiones vel habitus nominentur. Quare per nudam potentiam in illa indifferentia invenimur, qua aequaliter ad quodlibet obiectum inclinamur; per actum secundum ita altero obiecto adhaeremus ut alterum reiciamus; sed per dispositionem vel habitum ita ab initiali indifferentia recedimus ut, antequam actu secundo velimus, iam actu primo ad obiectum

determinatum volendum parati simus. Sicut enim in veris, qui intellectum habet, omne verum intelligere potest, ita in bonis, qui voluntatem habet, omne bonum velle potest. Sicut etiam in veris qui nudum habet intellectum, inquisitione ~~reflectiane~~ et addiscentia indiget antequam actu intelligat, ita in bonis qui nudam volendi potentiam habet, reflectione et persuasione indiget antequam actu velit. Sicut denique in veris qui scientiam acquisiverit, cum brevissima reflectione et sine ulteriori doctrina statim intelligere potest, ita in bonis qui dispositionem vel habitum habet, cum brevissima reflectione et sine ulla persuasione statim velle potest. Quibus in omnibus ita similes sunt intellectus et voluntas ut haec maxima maneat dissimilitudo, quod habitus ~~in intellectu receptus non est inclinatio voluntatis ad usum habitus, sed habitus in voluntate receptus nihil aliud est quam inclinatio voluntatis ad usum ipsius huius inclinationis.~~ in intellectu receptus inclinat non voluntatem sed intellectum, sed habitus in voluntate receptus ipsam voluntatem inclinat; et ideo circa usum habitus intellectualis plena manet indifferentia in voluntate, sed circa usum habitus electivi ipse habitus nihil aliud est quam inclinatio in usum sui ipsius.

Tertio, non directe sed indirecte dispositiones et habitus efficimus. Directe enim versatur libertas circa obiecta; directe efficit actus secundos; sed ex his secundis actibus relinquuntur in voluntate dispositiones quae in habitus formandos cumulantur atque coalescunt; et ideo indirecte tantum nostras ~~dipo~~ dispositiones et habitus

producimus, quatenus per seriem actuum circa obiecta convenientia qualitatem voluntatis pedetentim determinamus.

Quarto, eadem in genere est lex tam circa mutationem quam circa acquisitionem dispositionum et habituum. Sicut ergo per seriem actuum acquirimus, ita etiam per seriem actuum quod acquisivimus mutamus.

Quinto, qualibet in serie, unusquisque actus est actus liber. Neque ullum habemus liberum actum, quasi extra seriem positum, quo libere determinamus omnes liberos actus intra seriem contentos. Si enim hi actus ante determinarentur, iam liberi esse non possent. Quam ob causam, qui bonum facit propositum, seriem quamdam actuum serio intendit; quae tamen intentio nullatenus aufert libertatem quae singulis actibus competit; et ideo alia est bona intentio, et longe alia est eiusdem exsecutio.

Sexto, qui serio bonum propositum facit, nihil in sua voluntate ponit quam dispositionem unam. Bonum enim propositum unus est actus; et unus actus non est actuum series; et per solam actuum seriem fortior dispositio vel habitus acquiritur. Quam ob causam, utilissima est bonarum intentionum renovatio, cum intentio semel tantum elicita longe minus voluntatem inclinat quam dispositiones et habitus iam pridem acquisiti.

Septimo, qui qualitatem propriae voluntatis mutandam decernit, diutiori reflectione atque persuasione vehementiori indiget. Non enim vult secundum inclinationem suarum dispositionum atque habituum, neque praeter hanc acquisitam inclinationem, sed contra eam. Reflectione ergo indiget ut, quod sponte vult, non statim velit; et persuasione indiget

ut ab eo, quod hactenus dilexerit, iam abhorrere incipiat, et ut id, a quo hactenus abhorruerit, iam diligere incipiat. Neque solummodo in bono proposito eliciendo hac reflectione atque persuasione indiget. Nam ipsum bonum propositum nisi unam dispositionem non ponit; et ideo singulis vicibus et reflecti et sibi persuadere debet, donec per actus contrarios et tota acquisita qualitas auferatur et nova atque intenta qualitas inducatur.

Octavo, eatenus ergo potest homo dispositiones atque habitus propriae voluntatis mutare, quatenus non unum volendi actum elicit sed seriem actuum, quorum unusquisque est actus liber neque ante determinatur quam per diutiorem reflectionem atque vehementiorem persuasionem elicitur. Quam ob causam, rarius accidit ut quis acquisitas dispositiones atque habitus voluntatis revera mutet. Non enim eiusmodi est humana vita ut, quandocumque voluerimus, rerum eventuumque cursum interrumpere possimus, donec necessariam nobis reflectionem atque persuasionem peragamus. Neque eiusmodi est constantia humanae mentis ut, quod heri optimum videbatur propositum, hodie et cras et deinceps eodem bonitatis splendore effulgeat. Imo, ipsa acquisita atque mutanda voluntatis qualitas contra propositam mutationem nititur, ut menti suggerat tum omnia dubia quae propositum consilium infirment tum omnes difficultates quae ipsam voluntatem deterreant. Partim ergo a bonis propositis deficimus quia in repentinis reflecti nobisque persuadere non possumus, partim quia

de vera bonitate consilii propositi atque decreti dubitare incipimus, et partim quia fatigati totum reflectendi atque persuadendi negotium reincipere nolumus. Quae sane frustratio minime impedit quominus toties bonum propositum renovemus quoties recidamus. At aliud est quod absolute fieri potest, et aliud quod ipsi nos aliquando facturos serio audacterque ~~speramus. Non enim unum tantummodo bonum propositum feliciter in finem perductum ab omni peccato nos liberabit~~ speramus. Quod si desperare incipimus, si aliis meliores nos fore dubitamus, minori fiducia et sinceritate minori ipsae boni propositi renovationes ~~fieri~~ fiunt.

Nono, ~~et~~ in multis deficimus omnes (DB 107). Non ergo uno tantummodo bono proposito ad perfectam vitae rationem procedimus, sed serie bonorum propositorum indigemus quorum unumquodque seriem bonorum actuum exigit. Multi sane a serie serierum bonorum actuum, a serie serierum reflectendi sibique persuadendi laborum, penitus deterrentur. At fortissimus quisque, quamvis imperterritus maneat, non ideo usque in finem perseverabit. Nam bonum, imo optimum, propositum quod seriem bonorum propositorum respicit, omnes singulorum difficultates cumulat, ut etiam hic verissimum illud sit, aliud esse bonum velle, et aliud bonum perficere.

Decimo, quae superius de obscuratione intellectus quaeque nuperrime de voluntatis inefficacia diximus, summa quadam convenientia mutuo fulciuntur. Ignorantia enim voluntatem suam malam esse ignorat ut eam ab onere bonorum propositorum liberet. Et mala voluntas intellectum ~~suum~~ ignorantiae suae ~~ignorare haud addiscere~~ conscium fieri minime vult, tum quia mala est, tum quia

intellectus qua ignorans vel bonam voluntatem parum movet. Quam ob causam, etsi sacra eloquia doceant hominis vitam super terram esse militiam, eamdem tamen satis pacificam probat ignorantium neque bonum volentium torpor.

~~Sed ad tertium transeamus caput cum ignorantiae atque inefficaciae accedit obiectiva quaedam boni difficultas. Non enim intra conscientiam rationalem continetur irrationale peccati, sed per actiones irrationales in ipsam hominis situationem obiectivam procedit eamque facit absurdam. Quod absurdum et factum esse diximus et nihilominus ne potentia quidem intelligibile est esse~~

Sed ad tertium transeamus caput, cum ignorantiae atque inefficaciae accedit obiectiva boni difficultas. Aliud enim ~~est de potentia boni ad actionem ad actuationem boni procedere. Aliud autem est atque difficilius est, cum bonum malis corruptum sit, e malis in bonum restaurandum~~ est, rebus adhuc integris, bonum potentia in bonum actu reducere; sed aliud longeque difficilius est, cum bonum malis corruptum sit, e malis in bonum restaurandum procedere. Neque cuipiam dubium esse potest non illam sed hanc esse nostram conditionem humanam.

Nam non solum singulis malum est quod obscuratione intellectus voluntatisque inefficacia laborant, sed hoc ipsum in singulis exsistens commune quoddam atque publicum malum facit. Exterius ordinis bonum corrumpit, ut bona particularia ~~semper~~ diminuantur et mala particularia ~~semper~~ augeantur. Culturale bonum corrumpit, ne sapientia bonum a malo secernat, neve bonitas bonum eligat malumque respuat.

Quod si tot tantisque malis angustiam premimur, etiam patiamur necesse est. Si enim aliam in membris videmus legem et aliam mente perspicimus,[14] utramque simul sequi non possumus. Aut enim membrorum legi consentimur ut spiritus patiatur, aut spiritus legi consentimur ut membris patiamur. Si aliam in mundo legem obtinere videmus et aliam intellectu et ratione docemur, aut hanc aut illam sequamur necesse est; qui tamen cum mundo gaudet, animam suam perdit; et qui animam salvat, huius saeculi miseriam sustinere debet.

Neve synthesin quaeras ut duobus dominis servire possis,[15] ut bono ita fruaris ut tamen malum non patiaris. Lex enim peccati regnumque peccati et ex peccato sunt et in peccatum inclinant.[16] Quia ex peccato sunt, per illud irrationale seu absurdum constituuntur, quod ex defectu conscientiae rationalis oritur. In peccatum vero inclinant, quia pati nolumus, quia cum peccato commisso synthesin quaerimus, quia cum peccatoribus consociari consentimur.

Facilis ergo non est via, neque lata, neque plana, neque a multis frequentata, quae in bonum ex malis conducat. Via enim crucis est quam omnibus commendavit Dominus noster: "Dicebat autem ad omnes: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam cotidie et sequatur me."[17] Via crucis est, quam amplexus est Dominus noster, qui a mundo damnatus est, flagellatus, cruci fixus, occisus, ut de mortuis resurgens nos doceat quemadmodum e malis ad bonum procedere oporteat.

Quod si pati nolueris, specie boni ita decipi ~~pxxx~~ poteris, ut mala hominibus toleranda quam maxime augeas. Absurdum enim obiectivum, quia factum quoddam est, electionem nostram non tantum ~~p~~poscit sed exigit. ~~Quod si voluntariam malorum perpessionem nolumus, aliam tiam nescio qua necessitate quaerimus~~

Quod si voluntariam malorum perpessionem nolumus, absurdum esse absurdum atque ideo patiendum negamus. Si absurdum qua tale negamus, in facto absurdo intelligibilitatem quaerimus. Si invenire videmur quod quaerebamus, absurdum in mentem admittimus et pedetentim ~~a~~ de propria sede intelligibile atque verum detrudimus. Quod his ultimis saeculis nobis evenisse suadetur. Absurdum enim erat ecclesiam Dei corruptionibus esse infectam; quo absurdo decipiebantur qui ecclesiam veram esse invisibilem protestabantur. Absurdum deinceps erat multas quae consequebantur religiones esse bellorum ~~causm~~ causam; quo absurdo decipiebantur qui omnem religionem supernaturalem esse reiciendam ~~a~~ concludebant. Absurdum denique erat singulos ita proprio atque individuali rationis lumini inhaerere ut de omnibus fere dissentirentur et ideo bono communi consulere non possent; quo absurdo decipiebantur qui rationis lumen ideologiarum fontem habebant, universale omnium dominium statui cedebant, homines in servitutem non solum corporalem sed etiam spiritualem reducebant. Qua synthesium succesione ex unitate catholica in multas religiones, ex religione supernatu ali in rationalismum atque liberalismum, ex liberalismo in totalitarianismum processimus. Latam viam atque planam elegimus, iamque ~~perditio etiam mundana minitatur.~~

totius fere humani boni eversionem atque exitium timemus.

At quarta manet humanae impotentiae radix caeteris profundior, cum ideo homo ignorantia intellectus et inefficacia voluntatis et obiectiva boni difficultate laboret, quia a Deo aversus atque alienatus est. Qui enim a Deo avertitur, non se agnoscit Dei instrumentum, ut in omnibus bonum a Deo intentum invenire quaerat et inventum eligat, sed quasi prima causa esset, suis viribus fretus illud prosequitur bonum quod propria eius ratio invenerit et propria eius libertas elegerit. Qui vero prima causa non est et tamen agit ac se primam esse causam ~~credit~~, propriam impotentiam addiscat necesse est. Cuius ratio non bonum a Deo intentum sed aliud a se inventum vere bonum esse iudicat, suam insipientiam addiscat necesse est. Cuius libera voluntas non bonum per essentiam super omnia diligit sed aliud quoddam per participationem bonum tamquam supremum atque ultimum intendit, propriam malitiam addiscat necesse est. ~~Addiscit autem suam malitiam, suam insipientiam, suam impotentiam~~

ex acerbis consectariis

At undenam addiscere potest homo a Deo aversus, ratio insipiens factus, voluntas malo dedita? Addiscet infallibiliter sed tardius in die illa, die irae, quando caeli movendi sunt et terra. Addiscere potest maturius, si prophetas, si Christum audit, si ex malis fructibus se arborem esse malam agnoscere incipit, si Patrem misericordiarum supplex obsecrat gratiam operantem ut bonum velle incipiat atque cooperantem ut electum bonum perficiat.

Caeterae enim creaturae, quae irrationales sunt et cogitationis incapaces, a finibus suis non impediuntur quia se Dei esse instrumenta neque sciunt neque volunt. Sed creatura rationalis quae per suum intellectum suamque voluntatem in finem dirigitur atque producitur, non potest suam instrumentalitatem ignorare vel nolle, quin circa finem insipiens erret, oboedientiam superbus abiciat, et a fine malus deficiat.

Quare Apostolus: "Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt, sed evanueruunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes stulti facti sunt... Et sicut non probaverunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quae non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, avaritia, nequitia, plenos invidia, homicidio, contentione, dolo, malignitate, susurrones, detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inventores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absque foedere, sine misericordia."[18] ~~R 1, 22-28-31~~

Et iterum idem Apostolus: "Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles; sed quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret; ut non glorietur omnis caro in conspectu eius."[19] ~~1 C 1, 26-29~~

Et iterum: "Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt sancti."[20] ~~R 8, 28~~

Quare etiam S. Petrus et S. Iacobus: "Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam."[21] 1Pe5 Iac4 Prov3

Quorum omnium rationem ultimam ipse Dominus dedit:
Molo[18] "nemo bonus, nisi unus Deus."[22] Unicum enim est bonum per essentiam. Caetera autem bona sunt, quatenus divinam bonitatem participant, quatenus divina sapientia ordinantur, quatenus divina bonitate eliguntur. Qui vero a Deo aversus est atque alienatus, non solum ab unico bono recedit, sed etiam ita in alia tendit ut haec ab unico boni fonte secernantur. Non enim divina sapientia dirigitur; non divinae electioni obedit; non bona finita approbat et vult, quatenus divinam bonitatem participant; sed bona qua mere apparentia et insipiens approbat et superbus vult, ut civilizationem atque culturam absurdo infectam sibi faciat. Quod si arboris malae mali fructus ei displicent, fieri non potest ut, stante eadem aversione atque alienatione a Deo, ipse se de suis malis in bonum restauret. Stante enim hac aversione, non divina sapientia sed sua insipientia dirigitur, non divinae electioni sed alteri cuilibet obedit, non verum bonum sed quodlibet apparens prosequitur.

Articulus VIII.

DE PECCATO ORIGINALI.

Cum alio in tractatu catholica de peccato originali doctrina exponi soleat, octavus hic articulus brevissimus esse potest et debet.

Caetera ergo mala ex malo culpae et fieri et augeri diximus, neque hominem posse, humanis viribus fretum, haec mala tollere. Cuius impotentiae radicem in eo posuimus quod, stante reatu culpae, ita homo a Deo alienatur et in habitibus operativis malis figitur ut, quod absolute facere posset et etiam facere vellet, numquam tamen faciat.
~~Quod~~
~~Quae quidem~~

Quod sane non solum demonstrat quantum redemptione indigeat genus humanum sed etiam quaestionem movet cur Deus Pater caelestis conditionem humanam fecerit talem. At ipsa haec conditio non Dei opus est sed hominis. Quaecumque enim de humana impotentia enumeravimus, aliud non dicunt quam obscurationem illam intellectus et voluntatis debilitatem et in bonis difficultatem et ad mala inclinationem, quae ex peccato originali profluxisse credimus. Quia vero haec omnia non solum ex interiori hominis statu provenire vidimus sed etiam per societatem humanam mediari quodammodo et consistere et transmitti, convenientiam quamdam perspicere possumus illius decreti divini quod in primo homine quasi in capite genus humanum inter conditionem bonam et quam habemus malam eligere debuit.